

totum debitum ei remisit, v. 25. 26. 27. 32. postea vero 'cum' servus suus, ita misericorditer absolutus, nequiter peccaret, in conservum suum crudeliter sæviendo, v. 28. 29. 30. dominus ei fuit iratus, v. 34. & tradidit eum tortoribus, *quoad usque redderet totum debitum* v. 34. (NB. a quo antea eum absolverat, quodque ei gratis remiserat. v. 23.) Sic & Pater meus cælestis, inquit Christus in applicatione v. 35. *faciet vobis, si non remiseritis suo quisque fratri ex cordibus vestris delicta illorum*, hoc est, Deus Pater vobis resipiscentibus & fide ad ejus clementiam confugientibus peccata quidem vestra remittet: sed si impetrata remissione, deinceps opera carnis designando, & nominatim in fratrem sæviendo, vestram teterrimam ingratitude declarabitis, tum prius vobis datam peccatorum condonationem, *vobis ipsi reddetis irritam*, & severam Dei incurretis poenam.

44. Hæc cum Christus tam conspicue *explicarit & applicarit*, turpiter errant Zanchius in Miscel. p. 287. & Lubbertus in comment. p. 525. & 526. scribentes, hic Christum *non docere*, quod Deus peccata jam condonata iterum nobis graviter peccantibus sit imputaturus, & ea puniturus: sed *unum concludere*, idque conditionaliter; *Nisi* igitur & nos remittamus fratribus, duros nos gravissimas poenas, idque (ut hoc demus, inquit Zanch. p. 288. *ἐκ τῆς ὑπεροχῆς*) in carcere Inferni.

45. At vero, 1. Christus apertissime in *ὑποδοῦσα* dicit v. 35. *Sic & Pater &c.* evidenter indicans, quod homo, remissione peccatorum à Deo donatus, postea per gravissima patrata crimina, *sibi ipsi* acceptam veniam & indulgentiam faciat irritam, sibi que grave supplicium acceleret. 2. Quid? Christus non *duntaxat hoc unum* docet, quod homo id ignoscendas fratribus offensas inflexibilis, gravissimas sit daturus poenas; verum etiam ipsas nomine suo indigitat: quod scilicet talis homo cerebrosus & inexorabilis & crudelis debitum sibi antea remissum, de novo contrahat, & jam solvere id debeat, tortoribus traditus &c.

46. Quid juvat hanc tantam veritatis divinæ lucem falsis obnubilare glossis? Rectius equidem & laudabilius multo fecit Musculus, quando proposito hoc Christi sermone, hæc subjecit in L. C. p. 470. inquit: *Annon hic manifestum est, fieri posse, ut peccatorum remissio semel impetrata, reddatur irrita, obstringaturque eorum gratia peccator ad satisfaciendum divinæ justitiæ?* Hæc ille recte.

47. Nec illa Zanchii glossa divinæ veritati satisfacit, quando pag. 288. scribit, hic voluisse Christum ostendere, illos falli, *qui putant*, sibi